

157
B67 p
R

RERVM NATVRALIVM HISTORIA

N E M P E

QVADRVPE DVM INSECTORVM PISCIVM VARIORVMQVE MARINORVM
CORPORVM FOSSILIVM PLANTARVM EXOTICARVM

A C P R A E S E R T I M

T E S T A C E O R V M

E X S I S T E N T I V M

I N M V S E O K I R C H E R I A N O

E D I T A I A M

A P. PHILIPPO BONANNIO

NVNC VERO NOVA METHODO DISTRIBVTA NOTIS ILLVSTRATA
IN TABVLIS REFORMATA NOVISQVE OBSERVATIONIBVS LOCVPLETATA

A IOHANNE ANTONIO BATTARRA ARIMINENSI

PHILOSOPHIAE PROFESSORE

P A R S P R I M A .



ROMAE MDCCLXXIII.
IN TYPOGRAPHIO ZEMPELLIANO
Aere Venantii Monaldini Bibliopolae.

P R A E S I D V M F A C V L T A T E .



numerat, quod inest inter duo acumina leviter contorta, ut apparet post numerum 55. littera A. E Bovino Capite illa affurgunt, suntque arma validissima ad quodcumque animal expugnandum.

Hujus generis Cornu Ptolemaeo secundo allatum ex India refert Aelianus de histor. Animal. lib. 3. cap. 34., quod tres amphoras caperet. Livius lib. 1. Dec. 1. cornuum meminit portentosae magnitudinis, quae in vestibulo Templi Dianae Romae fuerunt suspensa, & omnibus miraculo.

Cornua Bubalina his adjuncta sunt maximae molis in Apulia selecta, semipalmum excedit eorum latitudo, longitudo vero ad tres palmos extenditur, sicut patet sub littera B. Nigerrima illa sunt, & transversim striata, mucronem versus solida in reliqua parte vacua.

Ex Japonia Cornu allatum est breve quidem, sed nigerrimi coloris, ac nitidum. Cujusdam Bovis illud est, qui Vituli magnitudinem non excedit; illum Incolae Jugo submitunt, ut Plaustra trahat.

§. X I.

C O R N U R H I N O C E R O T I S .

B O N A N N I I T E X T U S .

TAB. III.
n. 54.

Cornua Rhinocerotis jungimus sub num. 54., quae longe majori pretio habentur. Rhinocerotem plurimi cum Monocerote animalis confundunt; quare Cardanum in scribendo praecipitem damnat Scaliger; qui Monocerota sub Rhinocerotis nomine pinxerat. Duas scilicet belluas longe diversas a Pictura Rhinocerotis se vidisse ait, cujus cadaver e naufragio ejectum erat in Tyrrhenum litus capite suillo, tergore munito scutulato. Monocerotis vero figuram describit equi magnitudine, cruribus, pedibus, capite cervi, equi juba rariore, & breviora, coxis villosis; Cornu unum integrum Nicaeae a se visum, subfulvum unum, unum subluteum. Praeter Plinium, Aelianum, Gesnerum, & alios, qui Monocerota describunt, discrepantem valde a Rhinocerote, Cornu dicunt illud esse unicum in acutissimum mucronem desinens.

Garzias Horus, & Clusius, qui certiora testimonia de iis accipere potuerunt, ita habent lib. de Arom. hist. cap. 14. Est Rhinoceros vastum Animal, Cornu in nare gerens, quod difficulter domari potest, multos in Camboya, Bengalâ finitima, inveniri tradunt, & ab Incolis *Gandas* vocari: Mihi haecenus Rhinocerontem videre non contigit (ait Garzias) illud tamen scio, Bengalae incolas ejus Cornu adversus venena usurpare, Unicornu esse existimantes, tametsi non sit, ut ii referunt, qui se probe scire autumant. De Unicornu vero sic Garzias

Garzias capite citato loquitur. Ego hoc loco referam, quae a Viris fide dignis accepi. Inter Promontorium Bonae Spei, & aliud Promontorium vulgo de *Currentes* nuncupatum, vidisse se affirmabant terrestre quoddam animalis genus, licet mari etiam delectaretur, quod caput, & Jubam equi habet, minime tamen marinum equum esse, Cornu praeditum, duos palmos oblongo mobili, quodque nunc in dextram, nunc in sinistram obverteret, modo attolleret, modo demitteret, id animal cum Elephante ferociter praeliari, ejusque Cornu adversus venena laudari. Haec Garzias, ex quibus intelligimus, ita differre Unicornum a Rhinocerote, ut Equus ab Elephante, & utriusque animalis Cornibus vim insignem inesse contra venena.

Huic narrationi relationem addo Italicam Florentiae impressam ann. 1693. de origine fluminis Nili Lingua Lusitanica olim vulgatam a quodam nostrae Societatis Auctore. In ea haec habentur: *In Africa nel Regno degli Abissini detto Damote è una Provincia delle maggiori, che si chiama Agaos, che ha un Territorio detto Tanuca, il più rinomato, che si vanta essere l' unica Patria del tanto famoso Unicorno, la Patria di cui niuno Autore riferisce, quale è diverso dal Rinoceronte, mentre ha un sol Corno dritto, e il Rinoceronte due. E' della grandezza d' un Cavallo, mantello scuro, la coda, e crini neri. Il Corno è di cinque palmi in mezzo alla fronte di color bianchiccio dritto, e gentile. Est autem Unicornis, dice S. Basilio hom. in Psal. 28., Animal imperiosum, homini non subditum, nullis viribus domabile, perpetuo in solitudine agens, uno Cornu securum. In eadem narratione narratur, che da un Capitano Portoghese gli fu detto, che mentre in un prato pasceva i Cavalli di venti suoi Soldati, videro un' Unicorno uscire dalla Selva, e si accostò alli Cavalli, quali si rallegrarono conoscendolo per la loro specie, parve ombroso, poichè subito fuggì vedendo i Soldati, e si rintanò, e conobbero non esser favola quella dell' Unicorno.*

Utrumque haec se habeant, certissimum est, Cornua, quae sub nomine Unicorni venduntur, Rhinocerotis illa esse, magno quidem pretio habita olim a Lusitanis paecipue, sibi suadentibus optimum antidotum esse contra venena. Tribus ejus generis cornibus ditatur Museum, quorum unum ex basi semipalmari semper gracilescens producit ad acumen aliquantulum recurvum, longitudine palmorum quinque, nigricante colore, substantia valida, & ponderosa. Alia duo palmum cum dimidio in obtusum mucronem producta pyramidem potius imitantur, aliquantulum inflexam, ut delineavimus sub num. 54. Ex his cyathos, & vasa conficere, solent Indi, & illis uti ad bibendum praesertim, si febris laborent acuta. Unum videtur in Museo, quod forma naviculam exprimit, unde-

undequaque valde levigatam, & duo alia mole minora rotunda, & habentur inter rariora, quae Ars simul cum Natura conjuncta confecit.

A D N O T A T I O

Nec Auctor noster, nec Gesnerus, nec Aldrovandus, nec reliqui fere omnes ab eo citati Rhinocerotem ad vivum describunt, nec ab eorum Incisoribus schema mediocriter saltem simile datum est; Quare concludo, a Veteribus male descriptum, a recentioribus & male descriptum, & pessime pictum, veluti si nullus illorum umquam vidisset enormem id genus Bestiam. Contendo deinde, Rhinocerotis Cornua, quae in hoc Museo prostant, aut non esse hujusce Ferae Cornua, vel pessime in Tabula exarata esse.

Anno Jubilaei MDCCCL. Rhinoceros visus est in Italia, & Kal. Augusti fuit Ariminum transvectus, eumque commode observare potui. Mole corporis quatuor sane nostrorum Bouum simul coagmentatorum molem aequabat. Pellem valde crassam, & rhagadis asperam, & praecipue in cruribus, in quibus Ulmi corticem aemulabatur. Vario modo circa collum plicata, ut Minorum Observantium Cucullum repraesentaret. In dorso, & circa coxas pariter eleganter plicata. Tota fuliginosi coloris erat, & minime pilosa. Crura rotunda, brevia, cylindrica, recta, absque visibilibus juncturis, dum stare; singulorum circumferentia non erat tribus Parisiensibus pedibus minor. Femina erat haec Bestia. Cauda ad radicem brachium humanum ex majoribus aequabat, quae sensim decrefcebat in formam coni, seu, ut melius dicam, pyramidis quadrangularis; nam inter clunes ita aptabatur, ut sulcum clauderet, atque aequaret. Hysteros vero ita patebat, ut pueri caput, facile admittere posse videretur. Os, ratione molis corporis, exiguum, labiumque superius languidum, & pendulum. Oculi bubulos non superant; quare pro tanta Bestiae magnitudine parvi apparent. Linguam coniformem, mollem habebat, non autem corneis papillis ita asperam, ut in felibus, & bobus observamus. Cornu tantum uno supra nasum instructa erat, hocque vix palmum altitudine superabat, & paullo minus erat latitudine, obtuse mucronatum, ejus figura pedem humanum vestitum, & per sectionem perpendicularem a capite a tarforum exordio abscissum aemulabatur, prout Fig. I. Tab. adjectae indicamus. Pedes insuper habet tribus digitis instructos, brevibus, exteriori articulo valde mobili donatis, ita a cute pedum obvolutis, ut speciem praepatii circa eisdem digitos constituent; caput vero digitorum ita

moveretur, ut caput Testudinis terrestris e Testa exporrectum aemuletur.

Accidit autem, ut cum ex Urbe Roma ad nos Fera haec supra Plaustrum in Caveae modum efformatum, & a variis bobus attractum adveheretur (ut sumptus in boves trahentes minueretur) fundum Plaustro abstulerint, ut Animal intra septa Plaustri detentum ambularet, sicque par Bovum sufficiens esset ad vecturam; quo factum est, ut, vitio viae, concussione facta in Plaustro, Animal, magno impetu percusso capite in plaustri parietem, cornu remanserit destitutum; quare apud nos fuit absque cornu. Illud tamen a Vectoribus ostendebatur, illudque ad manus habui, & vidi, nigrum, non vero nigerrimum esse; erat plenum usque ad radicem, non vero cavum, ut in bubulis, capreis, hircinis &c. observatur. Locus autem, ubi cornu habebat, prominentiam bulbosam incipiebat ostentare ejusdem diametri, ac basis cornu, ut accidit in Cervis, quando primum Cornua reproducere incipiunt. Fera haec, me praesente, a puero, qui flagello bis, aut ter eam in capite percusserat, irritata, contra percussorem, tardo primum ictu, sed dein violentissimo irruit, ut vix ab ictu se eripuerit, quin in vicinum murum impactus confringeretur. Ceterum Fera mansuetata cernebatur, & foenum, & panem, quibus nutriebatur, ex manibus circumstantium placide sumebat. Verum cum in Germaniam pervenisset, Regionis inclementia sequenti anno mortuam audivimus. Denique ne quidquam videamur omittere ex iis, quae vidimus, & quae ad pleniorum Ferae notitiam pertinent, dicam, quod contigit quoque, ut illam viderem, quomodo corpus disponebat, ut posset cubare; quod ut assequeretur, dum stabat, coepit totum corpus a cauda ad caput ancipiti undulatione tarde urgere, dein inflexis lentissime anterioribus cruribus (in hac tantum occasione juncturae apparent, & quoad hoc schema, quod tunc a Vectoribus venundabatur, male erat incisum) & hinc posterioribus, tandem ubi ventre terram attigit, totum corpus deposuit, & capite versus unum, latus tantillum reclinato, prona jacuit. Dicuntur Mares in summo dorso inter homoplatas alio cornu versus caput reflexo esse instructi, sed hoc non vidi. Dicitur: *Rhinoceros (Unicornis) quem modo descripsimus, & Rhinoceros cornibus duobus cum nota marginali (Bicornis) Linn. Sy. Nat. 104.*

§. XII.

CORNUA CERVORUM.

BONANNII TEXTUS.

PLura etiam videntur Cornua Cervorum ex variis Regionibus transmissa, quorum aliqua ad altitudinem septem palmorum excreverunt, in octo ramos, seu mucrones distincta. Hujus generis mole stupenda visuntur in Templo Arcis Amboisensis in Gallis,

liis, quorum longitudo undecim aequat pedes, latitudo novem: intra ramos utrosque spatium est quinque pedum cum dimidio. Nescio, an majus exstiterit illud, quod Albertus Magnus lib. 2. de Animal. tract. 1. part. 2. se vidisse memorat, quod viginti duos ramos in una parte Cornu habuisse refert. At Vormius suspicatur legendum esse in textu Alberti, habuisse viginti duos ramos, in una parte Cornu undecim.

A D N O T A T I O

Cervus in Italia etiam rarissima Bestia non est, & de eo tam veteres, quam recentiores copiose scribere; ita ut nemo non sit, qui nesciat modo, Cervos verno tempore cornua deponere, & intra circiter bimestrem ramosa renovare, latere, donec sentiat cornibus denuo esse instructum, veluti pudore affectum, cornua dum adolefcunt, epidermate esse obtecta,

quo ut exuantur, confricando ea arborum corticibus expoliuntur, idemque Animal esse valde longaeum, ut saeculum usque compeat, & sabellam esse singulis annis ramosis suis novum corniculum producere, ac denique in Medicina insigne Diaphoreticum Cornu Cervi existere, Dicitur Linn. *Cervus (Elaphus) cornibus ramosis totis teretibus recurvis.* Sy. Nat. p. 93.

§. XIII.

DENS ELEPHANTIS.

BONANNII TEXTUS.

Dens sequitur Elephantis, quem Cornu appellari malunt plurimi antiquorum, & inter recentiores Ludolfus Hist. Aethiop. lib. 1. cap. 10: *Cornu esse (inquit) & non dentem, quod Ebur vocamus, apud Aethiopes non ambigitur, ideo haec Elephantorum arma lingua Aethiopum Akronot, sive cornua dicuntur.* Sententiam eandem Anatome Elephanti a sagacioribus instituta uberius confirmat. Polybius lib. 8. cap. 10. in Africa extrema tanta Elephantorum Cornua memorat, ut trabium, ac tignorum loco ad postes, sepes, & stabula exstruenda adhibeantur. Ultra dentem hujusmodi, quem Cornu dicunt, alii sunt dentes molares, quorum singuli duas libras ponderant.

A D N O T A T I O

Dum haec scriberem, incidit ad manus Iter in Guineam Gulielmi Bosmanii, ubi legi in Epistola decima quarta nonnulla, quae de Elephante tradit, summa prudentia excogitata. Dubitat in primis, utrum Elephas mutet Dentes, seu supposita cornua, quae in ore gestat, ut Cervi quotannis mutare Cornua solent, imo negativae parti favere videtur, additque, arduum hoc esse, eo quod hujusmodi Dentes pondere duas non tantum, vel tres libras aequent, sed centum etiam, & ultra. Praeterea ex eo, quod

tam veteres, quam recentiores Scriptores de Elephante multa tradiderint, & multa profati sint de coitus tempore, quo praegnantem foetum gestant, de tempore, quo ablaetantur, de eorum aetate ad coitum apta &c., cum nemo sit, qui haec commode observare potuerit; utrum ea, quae scripserunt, veritati sint consentanea, pariter dubitat. Quare Bonannium nostrum laudo, qui omnia, quae in Gesnero, Aldrovandio, & Jonstonio de Elephante prostant, fere intacta reliquit. Dicitur Linn. *Elephas (maximus)* Sy. Nat. p. 48.